

Sed tamen intellectiva vita cum in se spiritualis sit formaliter, non exercetur per corpus, neque per organa corporea, sed solum potest uniri corpori, ut deserviat ei tamquam instrumentum ad ministrandum species ex phantasmatis, et aliis sensibus haustas. Ad hoc autem oportet uniri animam intellectivam corpori habenti vitam sensitivam qua carent corpora cœlestia, quia carent organis sensuum. Quare solum potest forma intellectiva uniri cœlo ad movendum illud localiter. Ad hoc autem sufficit ut uniatur ei tamquam motor mobili, non ut forma materiæ. Et hoc modo unitur intelligentia cœlo, quia illud movet.

XXI. Potest tamen cœlum dupliciter eminere super viventia inferiora, et in ea influere. Primo inquam cum consideratur non in se solum, sed conjunctum suo motori qui est intelligentia, ratione cujus motus ejus redditur virtuosus, et superior ad viventia corporea, non quia intelligentia det qualitates vitæ, sed quia movet cœlum ut alteret, et qualitates imprimat necessarias ad vitam, quod sine tali motu non esset. Secundo, ratione formæ ipsius cœlestis, quæ est nobilior in quantum incorruptibilis et incorruptibili modo informans omni forma corruptibili, qua talis. Unde licet sit inferior vitalitate formæ viventis, est tamen superior modo informandi ejus, quia forma viventis informat modo corruptibili: et similiter est superior omni qualitate, et alteratione, sine qua non potest exerceri vitalitas sensitiva, vel vegetativa. In quantum ergo vita viventium, et vitales ejus motus dependent ab informatione, et unione formæ viventis, et ab alteratione qualitatum, quia sine ista et illa, vivens non subsistit, cœlum est superius, et influxivum in viventia, sicut homo ge-

nerat hominem non habendo influxum in animam, sed in materiæ unionem, et dispositiones, sine quibus non est homo.

### QUÆSTIO LXXI.

DE OPERE QUINTÆ DIEI.

#### TEXTUS.

*Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli. Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerunt aquæ secundum species suas, et omne volatile secundum genus suum.*

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

I. Post ornamenta cœlestium corporum in suis luminaribus quasi in facibus toto cœlo dispositis et accensis, sequitur ornatus superioris elementi, scilicet aquæ, et inferioris, scilicet aquæ, nam elementum ignis nullius ornamenti capax est, quia ob nimiam activitatem devoraret omnia ornamenta sua, et consumeret: præsertim cum ornamenta elementorum sint viventia, et mixta; nullum autem horum in igne diu durat. Imo nec in toto aere facta sunt viventia a Deo, sed notanter dictum est: *Volatile super terram sub firmamento cœli*, quia videlicet aves connaturaliter vivunt, et volant in hac infima aeris regione inter terram, et nubes quæ sunt in secunda aeris regione, et hæc vocatur firmamentum cœli. Si quando vero aves aliquæ volant super nubes, hoc erit ad tempus, et pro aliqua particulari occasione, non ut communiter,

et connaturaliter ibi volent, et vivant.

II. Circa generationem ergo viventium, quæ in hac quinta die facta sunt, scilicet aves, et pisces, tria occurrunt consideranda sicut in aliis operibus, scilicet causa efficiens a qua facta sunt; materia ex qua facta sunt, perfectio, seu status in quo creata sunt; et in qua quantitate, et qualitate. Et supponimus hæc viventia producta fuisse in actu hac die, et non solum in virtute, et potentia, sicut de herbis, et plantis dictum est, licet sententia Augustini quam habuit circa productionem plantarum, etiam procedat circa productionem avium, et piscium, et animalium, ut S. Thomas advertit in hac quæstione LXXI et LXXII. Sed tamen rationes quæ convincunt plantas esse productas in actu tertia die, etiam probant de productione animalium quinta et sexta die. Non enim solum dicitur quod dixit Deus producant aquæ volatile, et reptile, sed additur: *Quod creavit Deus cete grandia, et omnem animam viventem, atque motabilem; nec solum dicitur producat terra animam viventem, sed etiam additur: Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas.* Nec solum dicitur Deum creasse cete grandia, et omnem animam motabilem, sed etiam quod benedixit eis, et dixit: *Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris.* Si autem Deus creavit pisces, et aves, si fecit bestias terræ, si benedixit eis, et dixit ut crescerent, et multiplicarentur, et additur semper: *Quod factum est ita* intra illam quintam diem, et intra illam sextam, quomodo potest intelligi quod in illa die non fuerint facta in actu, sed solum in potentia, ista viventia? Quid enim fecit Deus, et quid factum est, si non fecit res istas in actu, et ipsæ in actu factæ sunt? Et quid benedixit, et jussit ut

multiplicarentur, et crescerent, si nondum erant in actu pisces, et aves, quibus benedicet. Certe negari non potest hominem sexta die factum esse in actu, et non solum in potentia, cum dicatur quod Deus creavit illum in hac die, quod dederit ei omnem herbam, et lignum in escam, quod tulerit enim in paradysum, quod vocaverit Adam unumquodque animal secundum nomen suum, quod dormierit, quod ex ejus costa formata sit Eva. Omnia hæc quomodo possunt convenire homini in potentia, qui nondum est homo, sed homini vero, et vere existenti, ergo etiam alia animalia sunt in actu producta.

III. Hoc supposito dubium est circa causam efficientem a qua producti sunt pisces, et aves in hac die. Et dicimus a solo Deo, ut a causa efficiente esse productos, non tamen creatione ex nihilo, sed educatione ex materia, v. g. ex aqua quæ concurreret ad eam productionem materialiter, non efficienter. Ratio est, quia in nulla alia causa erat sufficiens virtus ad producendam tantam multitudinem piscium, et avium tam in substantia, quam in modo, ergo a solo Deo effective processerunt. Antecedens probatur, nam si consideremus productionem illorum quoad substantiam, facti sunt multi pisces, et aves quæ sunt animalia perfecta, nec possunt a solo cœlo, et multo minus a solo Angelo generari sine aliquo semine, quod tamen tunc nullo modo erat, si quidem semen hoc inditum est ipsis animalibus, sicut et plantis, et ab illis deciditur, et illis dictum est quod crescerent, et multiplicarentur, ergo ante ipsa animalia non erat in alio corpore semen, et virtus ad illa producenda. Angelus autem se solo non potest istas animalium generationes facere nisi applicando activa passivis; neque cœlum per-



fecta animalia generare sine semine, quia nunquam oppositum visum est, sicut e contra videmus ex putrefactione imperfecta animalia generari. Et sic non habemus principium et fundamentum, unde dicamus, a cœlo producta esse animalia perfecta, et multo minus ab alio corpore inferiori ipso cœlo, quod non est agens æquivocum, nec habet efficaciam, et virtutem, quam cœlum. Ex parte autem modi quo factæ sunt aves, et pisces, multo clarius patet non potuisse nisi a Deo procedere, quia facta sunt solo imperio, et in tempore brevissimo, et in maxima multitudine, non per consuetos modos, quibus operatur natura generationem, scilicet prius alterando, et disponendo semina, quam generando, ergo supra modum naturæ facta sunt; ergo ab auctore naturæ. Nec tamen miraculose, et præternaturaliter, quia in illa prima rerum formatione, quando primum naturæ rerum productæ sunt, tam naturale est fieri res istas a solo Deo, quam postea in propagatione rerum fieri a causis secundis. Unde convincitur sententia Cajetani et aliorum quod aquæ produxerunt pisces, et aves effective. Non est hoc dicendum, sed solum materialiter, seu præbendo materiam concurrerunt, quia minorem efficientiam habent aquæ quam cœlum, et ita si cœlum non potuit ea viventia producere, multo minus aqua. Et ad producendum tali modo ipsi naturæ inconsueto, id est, tam brevi tempore, sine positionibus præviis, sine semine, etc. certius est aquam non habuisse virtutem; nam neque modo eam habet, ergo neque tunc, alias tunc haberet virtutem effectivam, quam statim deberet amittere. Unde ipsa Scriptura ut hoc excludat, ita prius dicit quod producant aquæ reptile, et volatile, et quod terra producat animam viventem, etc. quod tamen totam efficien-

tiam Deo tribuit, dicendo statim: *Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam motabilem. Et fecit Deus bestias terræ, et jumenta, et omne reptile, etc.* Ergo productio pertinuit ad aquam, et ad terram materialiter, ad Deum autem efficienter.

IV. Quod si dicas: Quare dicit Scriptura quod creavit Deus cete grandia, si revera non creavit, sed e materia produxit, responderetur Scripturam non uti illo verbo creavit in sensu rigoroso pro creatione ex nihilo, quia non dixit quod creavit absolute, sicut supra cum dixit quod creavit cœlum, et terram nihil amplius addendo. Hic autem dixit: *Quod creavit Deus cete grandia, et omnem animam motabilem, quam produxerant aquæ in species suas.* Si ergo creavit id quod produxerant aquæ, non ergo ex nihilo; sed concurrente aqua creavit. Et tamen utitur Scriptura verbo creandi ad designandum specialem efficientiæ modum, et proprium Dei, quia non consueto modo quo natura efficit, sed altiori, et proprio ipsius creatoris facta sunt, ita quod etiam in illa piscium, et avium productione Deum se, et creatorem ostendit, sicut etiam in productione hominis ad imaginem suam, quæ etiam verbo creationis notatur, ibi enim vere creavit animam ex nihilo.

V. Circa materiam ex qua factæ sunt aves, et pisces aliqui censent esse facta ex terra, alii ex aqua, alii ex aere. Primum tenet Cajetanus Catherinus, et alii, ducunturque illis verbis cap. II: *Formatis igitur, Dominus, Deus de humo cunctis animantibus terræ et universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam:* ubi formatio animantium, et volatilium æque dicitur facta ex humo. Et adjungitur ratio, quia in volatilibus prædominatur elementum terrestre, ut constat, quia illa corpora sunt magis

densa, et solida, et ponderosa quam aqua, quæ est nimis fluida. Secundum tenent plures patres ut Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, et alii, maximumque fundamentum habet in Scriptura dicente: *Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram;* quod intelligi non potest nisi aqua ad talem productionem concurrerit; non efficienter, quia efficientia ista tribuitur Deo, ergo materialiter, seu præbendo materiam. Quod etiam Ecclesia canit in hymno pro vespere ferie quintæ:

Magnæ Deus potentiæ  
Qui ex aquis ortum genus  
Partim remittis gurgiti  
Partim levas in aera.

Ergo ipsa avium productio ex aquis, ut ex materia facta est, si quidem inde levata dicuntur in aërem. Ratio etiam adjungitur, quia potissimum ex illo elemento dicitur aliquid fieri in quo movetur, et conservatur; pisces autem in aquis degunt, aves in aere pleno vaporibus, et multæ ex illis etiam super stagna et aquas consistunt, et ibi manent, ergo convenienter dicuntur pisces, et aves factæ ex aquis, sive ex aquis existentibus super terram, sive elevatis in aërem. Tertium probat Augustinus III de Genesi ad litteram cap. III, et de Genesi imperfecto, cap. XIV, Beda, Rupertus, et alii, et in ipsum inclinat D. Thomas hac quæstione LXXI ad III, ubi productionem avium ita aquæ adscribit, quod nomine aquæ aërem intelligi etiam docet, eo quod de aere non sit mentio ita expressa in Scriptura, quia aer insensibilis est. Et ratio facta etiam favet, quia aves moventur in aere, sicut pisces in aqua, ergo debuerunt ex aere fieri, quia unumquodque fit convenienter ex illo elemento in quo movetur.

VI. Inter has sententias ita existimo judicandum, quod non debent

simpliciter rejici, sed omnes aliquid de veritate habent. Nam quod aliquo modo ministraverit, et materiam aliquo modo ministraverit, negari non potest, cum prædominentur etiam in avibus qualitates terrestres, ut densitas, ponderositas, siccitas, etc. Aves etiam nidificant in terra et de ea sustentantur. Quare saltem remote oportuit terram ad eas concurrere. Et fortasse aqua ex qua factæ sunt etiam exhalationibus terrestribus potuit esse affecta, et plena, sicque aliquo modo terra concurrat, eo modo quo sufficit, ut verificetur quod etiam de humo facta sunt saltem remote, aut minus principaliter, vel concomitanter. Et in hoc sensu sententia illa prima vera est. Si vero velit aves factas esse ex terra tamquam ex unica, et totali materia, nullo modo admitenda est propter allata verba textus: *Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli,* quod declaratur magis in illis verbis hymni Ecclesiæ: Qui ex aquis ortum genus, partim remittis gurgiti, partim levas in aera. Nec audiendi sunt, qui illud verbum et volatile, non referunt ad verbum producant, sed sumunt illud in nominativo, et subintelligunt aliud verbum, id est, et volatile sit, aut volet super terram; nec enim videtur aquas quæ ita inferiores sunt potuisse producere aves super ipsam terram. Sed hæc expositio est extorta, et sine fundamento in littera. Nam si sensus est volatile volet super terram, non autem producant aquæ volatile, ommitteret Scriptura ipsam avium productionem, nec declararet nobis quomodo aves productæ sint, declarando quomodo pisces sunt producti, et postea quomodo bestię sunt factæ, sed subito introduceret aves volantes, omissa earum productione: quod omnino est absurdum et incredibile. Nec